16

FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.

PRO-CANCELLARIVS

D. SAMVEL THEODORVS QVELMALZ

PATHOL. PROF. PVBL. ORD. FACVLT. MED. ASSESSOR
ACADEM. DECEMV. COLLEGII P. P. MAI. SOCIVS

SOLEMNIA INAVGVRALIA
CANDIDATI PRAENOBILISSIMI
GEORGII ACHATII GOTTHOLD IENTSCH
GERANI. MEDIC. BACCAL.
PANEGYRINQVE MEDICAM
D. XVI. IAN. A. MDCCL.
INDICIT
DEQVE
ILEO EX HERNIA, EAQVE DEMVM CVM
INTESTINO SVPPVRATA
PRAEFATVR.

Non leue incommodum inteſtinorum aliarumque partium, per externam violentiam, in herniis mutatus ſitus aegris inducit. Adeo tamen per vincturas idoneas pilis inſtructas, quas ſagacitas humana inuenit, leuatur, vt, vbi modo iis rite applicatis intra breue tempus aſſueuerint, moleſtiam creent aut nullam, aut minimam. Quod ſi vero, qui peruerſi nonnullorum ſunt mores, auxilium hoc ſusque deque habuerint ſaluberrimum, bone Deus! quot iam expoſiti ſunt affectibus morboſis imo periculis? Enim vero quae ob longitudinem canalis, huiusque complicationem et anfractus tortuoſa ſalebroſaque quaſi, ex ſua natura, exiſtit via,

peruerſa hac loci mutatione, vbi per tenſum peritonaeum, perque muſculorum ligamentorumque annulos dilatatos, ingeſtis horumque furfuribus iam deſcendendum, iam angulo ſat acuto, non ſine difficultate, ſuperato adſcendendum eſt, transeundis remoram obiicit haud exiguam. Omnes quotquot cum malo hoc habituali conflictantur teſtes in cauſa aduoco, quantos ex atonia, aut improuide ingurgitatis cibis potulentisque flatulentis, quamque miros experimini cruciatus, quantas preſſiones, auxietates ac tormina non ſine vomibundis conatibus? Quam multiplicem calamitatem, alui concurrente ſiccitate atque adſtrictione, deficiente muco naturali ſuperficiem inteſtinorum internam alias ad faciliorem ſeceſſum obliniente, non parum auctam verbis geſtibusque, haud obſcure produnt. Eoque grauioribus ſymtomatibus tunc eos obnoxios animaduertimus, vbi duplicatum omnino inteſtinum, quod impedimentum a reflexione eius, alimentis caeteriſque contentis minus libere transeuntibus atque ſcybalis durioribus ingens obiicit, vna cum meſenterii omentiue portione extra abdominis clauſtrum cecidit. Quaeque primo loco nominanda videbatur ſacci annulique muſcularis conſtrictio, ſpaſmo ſaepe inteſtinorum iuncta, maximum periculi conſtituit momentum, eoque certius, vbi praeternaturali adhaeſioni portionis prolapſae cum nouo hoc receptaculo, altera exteriorique peritonaei ſuperficie celluloſa contexto, vti plerum-

plerumque ſit, adeo ſauet, vt quae antea libera adhuc in ſupinum ſitum tenentibus, noctu ſomnique tempore, in locum naturalem priſtinumque recedebat, iam reuertere neſcia inueniatur. Aſt oborto iam in tubo hoc repagulo, viam a ſuperioribus ad inferiora tendentibus quibuslibet contentis denegante, ſiue alia inteſtini pars in aliam flatibus antea dilatatam, ſeu ſuperior in inferiorem, ſeu vice verſa inferior in ſuperiorem eo fere modo, quo chirothecae digitis extractis nonnunquam complicari, plicisque factis, regredi aſſolent ingreſſa fuerit, fieri aliter nequit, quam vt motus inteſtinorum vermicularis, qui ſecundum naturam contentis inferiora verſus ſucceſſiue propellendis detrudendisque deſtinatur, praepoſterus iam atque inuerſus ventris inflationem, murmura atque ructus non ſaltem inducat moleſtiſſimos, ſed etiam aſſumta quaeuis, ſaburram foetidam corruptamque varii coloris, tandemque ipſas faeces ventriculum verſus, indeque per oeſophagum reiiciat. Etenim quae fibrae muſculoſae tam longitudinales, quam orbiculares, quibus praeter caeteras tunicas canalis iſte contextus eſt, motum lumbricorum terreſtrium aemulantur, mox in obſtaculum ſua contractione agunt quidem, eidem tamen vlterius deorſum pellendo impares, idem ſurſum, via quae vnica ſupereſt, oppoſita, cogunt. Id quod intellectu illi difficile haud videbitur qui motum hunc, teſte *Wepffero*, et a ſuperioribus verſus inferiora, et ab inferioribus viciſſim

ciſſim ſuperiora verſus ſecundum naturam procedere perpendunt. Scilicet motu hoc vrgente deorſum, ab interpoſito vero obice quocunque terminato, eoque magis magisque a materia in via retardata, aut plane ſubſiſtente, per teporem, acriori reddita neruoſas papillas cum fibris muſcularibus connexas ſtimulante, proritato, ſurſum directionem ſuam, nec aliter immutabit, ac lumbricus terreſtris ad corpus acutum obiectum lapidemque allidens, turbatus, in motu retrograditur, quaeuisque obuia haud alio retro vrgebit modo, quam per ventriculum fortius ab acri irritatum perque vomitum accidit. Qua in re genuinam iliacae paſſionis rationem eſſe collocandam, extra dubitationis aliam eſt poſitum. Haud in praeſenti omnes cauſas, tritam inteſtinorum viam praecludentes, trangituris progreſſum prohibentes, horumque ad ſuperiora regurgitationi anſam praebentes in medium producere expedit. Enim vero quis non perſpiciat inteſtini inflammationem, ex hernia ſubnatam incarcerata, morbum reddere periculi plenum hancque in ſuppurationem abeuntem, mutata quanquam facie incedentem, eum ſiſtere periculoſiſſimum. Nec eſt vt de gangraena et ſphacelo quid addam, quem hernia obſeſſam regionem, propter pinguedinem circumiectam, ocyus occupare experimur, quem interim citior mors frequenter praeuenire conſueuit. Verumtamen in arte ſalutari talia nonnunquam contingere, quae fiduciam no-
ſtram

ſtram ratione atque experientia innixam, prognoſinque admodum ſiniſtram ſuperant, ex omni tempore variis obſeruationibus firmatum eſt, caſuque inſequenti, ni fallor, ſatis ſuperque roborabitur. Mulier triginta aliquot annorum, gracilioris conſtitutionis, ex puerperio primo herniam dexrri inguinis, ob ſitum ſublimiorem, femoralem dictam incurrit, quam in res domeſticas intenta; de reliquo ſat bene agens, minus curat, niſi vbi ſubinde cum hyſtericis paſſionibus conflictabatur exque chronico hoc malo immanibus doloribus, vomituque vtplurimum eorum pediſſequo, obnoxia fuit. Quae cum menſibus abhinc quibusdam, inteſtini prolapſi parte flatibus vehementer diſtenta, locoque eruptionis a muſculis horumque annulis nimium conſtricto, dolore inſigni atque excruciante in infimo ventre cum eius inflatione, borborygmis frequentioribus intercurrentibus, renitente tenſione magna, varia inquietudine, aluo pertinaciter adſtricta, oppletione pectoris, eructationibusque foetidis per quosdam dies ſtrenue eſſet vexata, opem demum meam implorat. Ego vero ſigna commemorata vt et nauſeas imo vomitiones per vices repetentes blilioſas ſtercoroſasque, ſenſim increſcentes, vna cum pulſu, febrem acutam manifeſtante deprehendens illa praeprimis adminicula, ex methodi regulis, acerſo, quae alui obſtructiones reſerare, febriles commotiones ſpasmosque lenire, ac reliquo-

quorum ſymtomatum grauitati, partim internis, partim externis remediis derogare valerent. Enematibus potiorem concedens locum, iisque, iubente omnino neceſſitate, repetitis id omnino obtinebatur, vt aluus pauca tenuiaque, non ſine vomibundorum conatuum, atrocium abdominis dolorum, ipſiusque inquietudinis leuamine, quamquam ad coli valuulam neutiquam pertigerint, manifeſto redderet, aliter atque *Hippocrates* aut quisquis Libr. III. de *Morbis Vulgaribus* eiusque *Sect.* II. *hiſtor.* 9. autor fuerit: de muliere ad Tiſamenum Voluulo affecta, quippe quae alui recrementa cruda tenuia pauca egerens pharmacis tamen fruſtra adhibitis defuncta eſt, retulit. Aſt malum inducias modo quasdam feciſſe dixeris, cum etſi afflictiones hae acerbae, mediis adhibitis, haud mediocriter fuerint mitigatae, nihilo tamen minus, quibusdam diebus elapſis, et locum herniae, et totum inguen cum femoris ſuperiori atque externo ambitu, nec pubis regione excepta, tumor inflammatorius isque ſat durus, febris ſymtomaticae dolorumque notabili augmento ſtipatus denuo inuaſerit. Quibus ſic ſub veſperam ingruentibus nocteque inſequente iugiter continuantibus, hernioſus tumor ſphacelo affectus ſummoque mane ruptus tantam, tamque largam humoris foetidiſſimi copiam plorabat, vt non ſolum per linteamina ſtragulaque ſed etiam lectum penetrauerit, duritie ingenti adiacentium partium remanente.

te. Aperturam externam introſpiciens eam trium quatuorue pollicum longitudine, ſaniem vero large effluentem, cadaueroſo foetore praeditam, chylo intermixto, ex iuſculo potulentisque aliis antea aſſumtis, profundius ſcaturientem inuenio. Quod nimirum diuerticuli *Nuckii* titulo, extima peritonaei ſuperficie celluloſa, pinguedine referta, conſtans, ab annulo muſculorum abdominalium oriundum, anteriora verſus deſcendit receptaculum ligamenti vteri rotundi, poſt peritonaei factam praeternaturalem extenſionem, inteſtini portionem non receperat ſolum eandemque diu ſatis continuerat, ſed cum ea etiam coaluerat. Non poterat igitur non ob eandem intimiorem connexionem, oborta ſphaceloſa corruptione, vna cum ipſo inteſtino affici vaſculoſamque ligamenti indigitati texturam eadem labe deſtructam oculis ſiſtere. Euentum mali ſiniſtrum, ob inteſtini crepaturam eroſionemque eo potiori iure ominabar, quo magis per obſeruationes nonnullas haud abſimiles, inprimis in cauponis cuiusdam vxore, ex eadem cauſa voluulo detenta, ſuppurata hernia, protractisque ex diſrupto inteſtino duobus lumbricis admodum longis, ſphacelo demum ſuccumbente triſte formare prognoſticon addidiceram. Nil interim eorum reliqui habendum ſuſpicabar, quae quoad curam internam, tenue inteſtinum, quodcunque fuerit, lenire, blandeque demulcere, inſimulque alui, quoad eius fieri poteſt aperturam conſeruare poterant.

Nec minus quoque chirurgus a partibus ſuis, ea quae ſphacelo deſtructa erant circumſpecte ſeparando, abſceſſum abſtergendo, velique adipoſi vicinarum regionum indurationem reſoluendo decenter ſtabat. Aſt morbi indoles, viresque per agrypniam diuturnam admodum fractae proxime forſitan inſtantis mortis indicium ſuppeditabant haud obſcurum. *Miſerae* tamen ſuperſtitis vita miſera horis medicis reuertentibus animum addidit, ceptis intentionibus ſtrenue inhaerendi. Vt vt enim eroſi inteſtini ne vllum ſupereſſet dubium, cum ſingulis deligationibus chylum ac ſerum, ex aſſumtis ab initio paucioribus, progreſſu temporis paulo largioribus propullulare, quamque inprimis horis nonnullis poſt prandium, ſituque corporis erecto, aut ſub alui exoneratione, preſſione diaphragmatis atque muſculorum abdominis inſtituta, largiori effluxerit riuulo numeroſaque imbuerit linteamina, coram conſpexerimus; tantum tamen aberat vt diebus ſuccedentibus aegrae conditionem deteriorem obſeruauerimus, vt potius dolorum per vices non mediocrem remiſſionem, ſuauiorem hinc ſomnum caeteraſque circumſtantias benigniores fuerimus experti. Quibus ita contingentibus non poteram non obſeruationis, *Ramdohrii Sereniſſ. Ducis Brunſuicenſ. Chirurgi Primarii* quam cum *Illuſtri Heiſtero*, communicauit, quamque *Experientiſſ. Dn. D. Moebius* diſcipulus quondam meus clare doctus *diſſertationi inaugu-*

augu-

augurali: quae *Obſeruationes Medicas Miſcellaneas et theoreticas, et practicas* ſiſtit p. 34. inſeruit, meminiſſe. „Mulierem nempe adducit plebeiam Guelpherbyti degentem hernia incarcerata in inguine laborantem, quae „ poſt inflammationem in abſceſſum abiiſſet, qui inter „ violentos dolores ruptus, eodemque niſu fruſtum inte- „ ſtini duorum pedum ex ventre expulſum eſſet. Qui- „ bus anguſtiis detenta miſera demum et Medicum *D.* „ *Kunzium*, et *Ramdohrium* laudatum Chirurgum ac- „ cerſi curaſſet, qui inteſtinum propendens ſphacelo „ iam correptum deprehendentes, exque conſilio *Celſi* „ extremo malo extremum remedium oppoſituri par- „ tem tam inteſtini, quam meſenterii corruptam reſe- „ caſſent, ſanumque extremum alterum alteri immiſiſ- „ ſent, opeque fili leuiter conſtricti aliquo modo firmaſ- „ ſent. Id quod tam feliciter ceſſiſſet, vt altero iam „ die faeces per anum excreuiſſet, breuique poſt „ omnino reſtituta fuiſſet. Qua tandem, elapſo inte- „ gro anno, ex pleuritide mortua, exciſam ex cadauere „ illam portionem, in qua noua concretio inteſtini facta, ab „ *Excell. Heiſtero* in Alcohole aſſeruari aliis multis vna „ cum loco conſolidationis demonſtrari manibusque „ palpandam concedi, addit.

Elapſis adeoque pluribus diebus, vlcere per iniectiones, quibus tamen ardor ſtomachi ructusue ar-

 dente-

dentes tantum non ſemper excitabantur, indies magis purificato duritieque ſenſim reſoluta ac- que ac febre remittente leniter, benignioris euen- tus praedictio formanda erat. Copioſum ſal- tem ſeri profluuium labiorumque vlcera intume- ſcentia maior ſolicitum me tenebat, ne denique fiſtula ſuperſtes quaedam fonticulum agat per- petuum, ex quo, niſi chylus, ſerum tamen, non ſine deteſtanda moleſtia promanaturum ſit. Tan- tum tamen abfuit vt ex his aliisue incommodis quoddam reſtiterit, vt ſeruata potius diaeta leniente lubricanteque, ſicque aluo reddita aperta humorum effluxus ſenſim imminutus, demum prorſus ſubſiſtens ceſſansque conſolidationem admiſerit exoptatam, ipſo tumore, conſtrictione annuli, poſt factam tam ſuppurationem, quam antiſpasmodicorum topico- rum applicationem, relaxata, prorſus diſparente. Ani- mum proinde, nec in grauiſſimis malis paſſim obue- nientibus, eſſe abiiciendum, ſed eo conſtantiori men- te, maiorique ſolicitudine arduo operi eſſe inſiſten- dum, quo, rebus aegri anguſtis, captu difficiliora conſilia nunquam non exiſtunt, vel hoc ipſo in medium adducto caſu edocemur. Ars inquam longa eſt, quae eius filios ad mentis conſciae recti ductum operis difficile exercitium aggredientes, inpri- mis academico curſui, paucioribus annis trans-

actis, finem impoſituros ad indefeſſum vltro ſtudium adhibendum allicit cogitque.

Idem quoque ſibi ſerio dictum putet

NOBILISSIMVS ATQVE PRAECLARISSIMVS

GEORG. ACHAT. GOTTHOLD IENTSCH.

GERA RVTHENVS.

MEDICINAE BACCAL. DIGNISSIMVS.

Experientiſſimi Parentis, Practici penes Geranos Celeb. Fautoris mei Aeſtumatiſſimi, cuique de honoribus filii Dilectiſſ. mox capeſſendis animitus gratulor, veſtigia impoſterum preſſurus, in ſcenam in praeſenti producendus. Is elegantionibus litteris in Gymnaſio illuſtri patrio, *Virorum Praecellentiſſimorum Clariſſimorumque Grueri*, *Schwalbii*, *Hauptmanni*, nec non Directoris meritiſſimi *Buttſtetti* inſtitutione fideliſſima atque eximia inſtructus ad Optumi Parentis nutum anno MDCCXLVI. ad noſtram ſe conuertit Philyream

 in

in qua, ex innata quaſi propenſione, arti ſalutari ſe dicare conſtituit. Ne vero illotis, quod dicunt, manibus eam attingeret, mentem praeceptis philoſophicis, ad rimandas feliciter veritates, via opportuna ducentibus dotare primam ſibi poſuit legem. Quibus theoreticas doctrinas medicas, quae profecto non niſi ſerio ſtudio ac decenti animi contentione hauriuntur, ſtatim iunxit, vſus in iis pariter ac reliquis practicis ſucceſſiue percipiendis Inclutorum Profeſſorum doctrina ex ea, quicquid medicum conſtituere atque exornare poteſt, in commodum ſuum conuerſurus. A quorum celeberrimorum Doctorum ore, vt diutius pendere ipſi liceret, optauit quidem, optaſſemus, et omnes, quotquot patriae, Parenti et ipſi bene cupimus; attamen circumſtantiis eius minus permittentibus, Patreque venerando vt ſtudiis academicis colophonem imponeret curasque ipſius ac ſolicitudines, quas artis exercitium ſat amplum poſcunt, leuaret quodammodo, atque ab eius practica manuductione ſimul proficeret, iubente, obtemperandum illi omnino fuit. Ne igitur ſtudiorum ſuorum huc vſque continuatorum publico deſtitueretur teſtimonio, Gratioſiſſimam Facultatem medicam adiit atque ab ea modeſte petiit, vt in eius profectus, conſueto more, inquireret atque decerneretus num proemiis, quae ars merentibus largitur, dignus eſſet? Ad primum ergo Tentamen admiſſus ſe talem exhibuit, quem ad

altiora

altiora ſpirantem beneque merentem iuuaremus. Quam ob rem, ad eius inſtantiam, Ordinis noſtri indultu cathedra illi fuit aperta, vt lectionibus nonnullis, curſoriis dictis, profectus ſuos, quos hiſce annis fecerit, quantumque ex egregiorum ſcriptorum lectione ceperit emolumenti, publice quoque Nobis aeque, atque commilitonibus ſuis comprobaret. Quibus praemiſſis cum in Examine poſteriori, quod rigoroſius ſ. pro Licentia audit, de artis fundamentis iisque practicis fideliter atque cum laude iactis, quibus magna cum fiducia inniti queat, nos certiores reddidiſſet, via ad honores quos in medica arte ambit ſummos, ipſi ſtructa fuit. Futuro igitur XVI. Ianuar, qui ſolennitati huic dictus eſt, poſtquam diſſertationem inauguralem: *De Indicatione mutante fluida ad mentem veterum* defenderit, a me, cui ad hunc actum Pro-Cancellarii munus demandatum eſt clementiſſime, Licentiam, ex perantiqua conſuetudine impetrabit conſequendi Doctoris titulum atque priuilegia. Quod vt ritu decenti fiat, *Vos Rector Academiae Magnifice, Comites Illuſtriſſimi, Proceres vtriusque reipublicae Grauiſſimi, Generoſiſſimi atque Nobiliſſimi Commilitones atque Academiae ciues* ea qua par eſt animi contentione rogo atque obteſtor, vt perhonorifica Veſtra Praeſentia Panegyri huic maiorem ſplendorem conciliare ne dedignemini. Quem fauorem inſignem non ſolum Praenobiliſſimus Dominus Licentiandus,

ſed

ſed quotquot Collegium noſtrum ornant, aeſtimabunt mecum vt decet, meritoque praedicabunt, verum etiam occaſionem praetermittent nullam, mutuis officiis inſeruiendi promtitudinem declarandi plenius Dab. Lipſiae d. XI. Ianuar. Domin. I. poſt F. Epiph. A. MDCCL.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.